

solum insistit doctrinae de communione Sanctorum, sed etiam adhibet clausulas metricas et locutiones nonnullas quae occurrunt in *Te Deum*<sup>1</sup>.

*Te Deum* et *Gloria* in excelsis merito vocati sunt « fratres gemelli »<sup>2</sup>, intime cognati quoad compositionem et usum. Sicut *Gloria* exorditur prooemio, verbis nempe angelicis « Gloria in excelsis... bonae voluntatis », quibus ad laudandum invitatur, ita hymno Ambrosiano interdum praemittitur « Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini »<sup>3</sup>. — Utriusque hymni thema est laus Dei in unione cum angelis qui cantant *Gloria* in Bethlehem aut *Sanctus* in visione Isaiae (VI, 3). — In utroque hymno glorificatio Dei dilatatur in doxologiam explicitam trium Personarum SS. Trinitatis. — In priori parte cognatae sunt expressiones: *Te Deum laudamus—Laudamus Te; Te Dominum confitemur—Benedicimus Te*; directe diriguntur ad Deum. — In altera parte cum laude speciali Filii conjungitur utrumque oratio deprecativa. — Tandem in antiquis documentis<sup>4</sup> post *Gloria* subiunguntur versiculi quidam quorum priores sunt iidem ac in *Te Deum* v. 24-26; « Per singulos dies benedicimus Te... »<sup>5</sup>. — Et sicut *Gloria* recitari solebat tempore matutino in officio vel in missa, ita etiam *Te Deum* praescribebatur omni die dominico aut festivo in fine Laudum<sup>6</sup> aut in fine officii nocturni<sup>7</sup> ut hodie injungitur.

Quoad usum, valet regula generalis: in officio dicitur *Te Deum* quando in missa officio conformi dicitur *Gloria* et *Ite missa est*; sola excipitur feria III Rogationum, in qua « si officium fuerit de feria, dicitur missa *Exaudivit* de Litanis, sine *Gloria in excelsis*, quamvis ad matutinum dictum sit *Te Deum* ».

In specie ita determinat rubrica in Ordinario:

« Post ultimam Lectionem, in omnibus Dominicis per annum minoribus etiam repositis vel anticipatis, in vigilia Epiphaniae, in festis « cujusvis ritus, excepto tamen Sanctorum Innocentium Festo (nisi « hoc in Dominicam incidat, aut ritu gaudeat duplici 1<sup>ae</sup> classis) »<sup>8</sup>, per « omnes octavas, et in officio S. Mariae in Sabbato, dicitur Hymnus « Ambrosianus ».

« In Adventu autem, et a Dominica Septuagesimae usque ad Sabbatum Sanctum inclusive non dicitur nisi in festis; a Paschate vero

<sup>1</sup> D. G. MORIN in *Rev. Bénéd.*, XXIV (1907), 180-223.

<sup>2</sup> Cf. Cl. BLUME, S. J., *Der Engelhymnus Gloria in excelsis*, apud *Stimmen aus Maria-Lauch*, 1907, II, 52-55. Cf. C. B., XIV, 543 ss.

<sup>3</sup> Ita in antiphonario Benchorensi (Bangor) s. VII.

<sup>4</sup> In antiphonario Benchorensi et in celeberrimo S. Scripturae codice Alexandrino (s. V) et sunt in usu in officio graeco matutinali.

<sup>5</sup> Cf. C. B., XVII, 259 ss.

<sup>6</sup> Ita in Regula S. Caesarilii; item die sabbati in Reg. S. Aureliani.

<sup>7</sup> Ita in Regula S. Bened., XI, et in antiph. Benchorensi.

<sup>8</sup> Dicitur tamen in eius die octava. Qua de re cf. C. CALLEWAERT, *Feestdag der Onnozele Kinderen*, ap. *Lit. Tijdschr.* IV, 93-100.

« usque ad Pentecosten inclusive dicitur etiam in feriali Officio, excepta « Feria II Rogationum. Alio tempore nunquam dicitur in feriali Officio. « Quando vero Hymnus praedictus omittitur, ejus loco dicitur IX aut « III Responsorium ». Non dicitur in officio Defunctorum.

In officio parvo B. M. V. dicitur *Te Deum* a Nativitate Dni usque ad sabbatum ante Septuagesimam et a Dominica Paschatis usque ad sabbatum ante Adventum; in Adventu autem et a Septuagesima ad Pascha tantummodo in festis B. Mariae V. et S. Joseph etiam particularibus.

## ART. II. — De iis quae ad lectionem pertinent<sup>1</sup>.

### § 1. Generalis oeconomia lectionum.

267. — Usus lectionum in liturgia accepit Ecclesia Christiana ex ritibus Judaeorum. Hi enim interdum in officio templi Hierosolymitani<sup>2</sup>, regulariter vero in conventibus synagoga<sup>3</sup> legere solebant Legem et Prophetas. Ita Jesus in Nazareth « intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiae... Et cum plicuisset librum... coepit dicere ad illos: Quia hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris... » (Luc. IV, 15-22).

Hoc divini Magistri legentis et explicantis S. Scripturam exemplo edocti, servaverunt primi christiani consuetudinem lectionis et homiliae in conventibus suis liturgicis<sup>4</sup> tam antelucanis aut matutinis ante missam, quam vespertinis post agapen (n. 224, 227). Hi tamen Veteri Testamento adjunxerunt mox Testamentum Novum, epistolas nempe Apostolorum<sup>5</sup> et Evangelia<sup>6</sup>; quibus postea accesserunt epistolae Pontificum et episcoporum de rebus ecclesiasticis<sup>7</sup> aliaque scripta diversa probata<sup>8</sup> necnon acta et Passiones martyrum<sup>9</sup>.

Quando autem s. IV officium canonicum omnino separatum est a missa et ab agapis (n. 320), ab his conventibus usus lectionum transiit mox ad Horas canonicas praesertim nocturnas et vespertinas, ut clare patet v. g. ex *Peregrinatione ad Loca sancta* (n. 225) et testimoniis Cassiani et aliorum<sup>10</sup>. Jam Regulae S. Benedicti, S. Caesarii et

(267)<sup>1</sup> BAUMER, o. c., I, 265 ss.; 285 ss.; GRANCOLAS, o. c., c. 32.

<sup>2</sup> Esdrae tribuitur distributio librorum pro singulis diebus hebdomadae et festis.

<sup>3</sup> Cf. Act. Apost., XIII, 15; XV, 21; II Cor., III, 14, 3. In officio matutino in synagoga fiebat duplex lectio ex Lege primum et deinde ex Prophetis.

<sup>4</sup> I Tim., IV, 13.

<sup>5</sup> Cf. Col. IV, 16; I Thess., V, 27; TERTULL., *De Praescr.*, 26: « Legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet ».

<sup>6</sup> S. JUSTINUS, *Apol. prima*, XLVII, 3; *Constit. Apostol.*, VIII, 5, 11

<sup>7</sup> S. CYPRIANI, *Epist.*, VII, 7.

<sup>8</sup> V. g. Epistola Barnabae, Pastor Hermas.

<sup>9</sup> Conc. Hipponeense 393, can. 36.

<sup>10</sup> CASSIANUS, *Instit.* II, IV; VI. In Aegypto in officiis vespertinis et nocturnis adduntur duae lectiones, ex Veteri nempe et Novo Testamento; Sabbatis vero, dominicis et tempore